

1552
*Caroli Cæ-
 saris in
 Germanos
 bellici appa-
 ratus.*

At Carolo tantæ rei indignitate commoto, atque iis, quæ antea summa felicitate confecerat, ante oculos obversantibus, pristinus ille vigor animi assurgere irarum æstu videbatur. Quapropter Germanos præfectos ad se vocabat; copias cogebat; bellum denuo parabat: complures, quorum mentes eximia illius potentia perstrinxerat (ut Regum inclinatæ res ad misericordiam mortales flectunt) calamitas ad opem ferendam concitabat. Ferdinandus eodem tempore cum Mauritio, atque aliis Germanis Principibus Pataviæ pro concordia laborabat, imminentibus Pannoniæ, ac Daciæ periculis sollicitatus, quod præpotentem exercitum in eas provincias Suleimanum missurum ferretur, ac Georgii obitu in iis gentibus restinctus pro patria tuenda ardor videretur. Verum in eo negotio perficiendo multa a Germanis petebantur, qui Cæsaris potentiam coercere; libertatem augere; Principum, ac civitatum privilegia novis incrementis ampliora reddere, temporum nacti opportunitatem, conabantur. Cæsar, quamvis extrema quæque passurum, quam aliquid imperatoria indignum majestate facturum constantissime profiteretur; tandem Germanorum plerisque postulatis est adensus. Mauritius pace icta cum ab armis discessisset, supremus belli labor in Alberto Brandeburgensi debellando manebat.

*Pax inter
 Cæsarem &
 Mauritium
 Principis
 Salernitani
 Venetias
 reditus.*

Interea Salernitanus Princeps in Galliam profectus, de Neapolitano regno invadendo cum Henrico communicatis consiliis, Venetias revertitur, atque una cum Silvæo, Regis legato, denuo, ut Senatum ad fœdus ineundum impellerent, nituntur. *Modo Regis vires, ac potentiam ostentare; modo afflictas, ac dejectas Cæsaris res objicere: præclaram augendi imperii opportunitatem non prætermitterent, neu aliquo sibi beneficio Carolum demereri sperarent, in quo plus imperii cupido, quam collati beneficii memoria posset. Quæ præmia Genuenses, Florentini, Senenses in illum observantiæ tulissent, inspicerent.* Hæc vehementi adeo dicendi vi a legato enuntiabantur, ut Patrum animos a susceptis consiliis, quibus per tot annos Rempublicam administraverant, deducere potuissent, nisi rerum usu edocti in neutras declinando partes cum dignitate incolumitatem, ac libertatem publicam retinuissent, quam vana rerum specie, summis periculis obdu-

cta,